



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. Quid ille sit, quæ materia, forma, Officium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Sacramenta, nisi ea suscipere intendat. Vnde, quia hoc verè Ordines non haberet, nec ad servandam Castitatem, nec ad alia onera Ordinis Sacri teneretur, neque laboraret impedimento dirimente matrimonium; solum peccabit facitilege propter defectum illius intentionis, ut ex se patet.

13. Ex iisdem supradictis fieret, Secundo, ut si quis injusto metu, vel vi coactus susciperet Ordinem Sacrum, teneretur Voto, quia *lib. 1. in decal. c. 2. §. 5.* dictum est merus ex se non tollit voluntarium. Dixi (amen) teneretur) nam ceterum, quia vota ex injusto timore extorta irrita nunc esse ex lege saltem Ecclesie notavi; *lib. 1. in decal. c. 2. §. 8. n. 3.* ideo hodie non tenetur. Quoniam vero id eadem Ecclesia nunquam invalidavit (& nec potest) receptionem Sacramenti factam ex timore, idcirco is ita ordinatus contrahit impedimentum dirimens subsequens matrimonium, quod impedimentum Ordini Sacro eadem Ecclesia connexit, quodque dispensari poterit à Summo Pontifice, quia idem merus dat justam causam dispensandi.

Ita post maturiorem considerationem puto, tenendum quamvis *loc. cit. lib. 1. in decal. c. 2. §. 8. n. 4.* sequendo aliam opinionem dixerim, initium ex metu validè, & licitè matrimonium posse contrahere, quod certè est probabile, quia probabile est, Ecclesiam conjunxisse impedimentum dirimens matrimonium soli Ordini Sacro suscepto modo ordinatio, & consuetudo, id est cum cognitione Voti illi Ordini adnexi, & voluntariè emissi, ut notat Bossius *l. mox cit. a n. 201.* probatque.

14. Dices; Qui ex metu injusto, ut ibidem diximus, solemniter profiteretur, potest, approbato metu validè inire matrimonium, nec solum licitè: cur ergo non ita is, qui Ordinem Sacrum ex simili metu suscipit?

Respondeo, Clara est ratio, quia hic, ut modo dixi, verum Ordinem suscipit. Vnde, & contrahit id, quod Ordini est annexum; ut ille, cum verè non sit professus, nullam obligationem adnexam professioni subire potest.

15. Denique fiet Tertio, ut, ex vi prædictæ doctrinæ si infans rationis imponi ordinaretur, quem in jure, *c. vnic. de Cl. per saltum promot.* certum est validè, licet illicitè, ordinari in Sacris (non verò per aliquos, in Episcopatu) quia Episcopus ordinatur in Pastorem, ad quod munus est incapax is, qui ratione caret, ut docet S. Thomas alii que cum Castrop. *d. vnic. de Ord. p. 7. n. 5.* Lege Leand. *de Ord. d. 5. §. 8.* quæ ratio, an convincat, non est orium nunc querere, quæram tamen breviter inferius *c. 5. §. 1. n. 12.* si infans, inquam, ordinaretur in Sacris, non esset obligatus ad votum servandum, quia infans emittere votum non valet; sed tamen invalidè grandior factus iniret matrimonium, quia, cum habeat Ordinem Sacrum, habet & impedimentum Ordini Sacro adhaerescens.

16. Dixi autem, (fieri ex vi prædictæ doctrinæ) nam ceterum Ecclesia id voluit limitare in Infantibus, disposuitque merito, ut ipsis, adveniente vsu rationis, daretur optio, teste Sanch. alii que communiter apud March. *tr. 2. p. 6. c. 8. diff. 10.* Boss. *l. 2. moral. p. 3. t. 3. n. 199.* ut si velint Ordini stare, stent, ac deinceps obligabuntur ad Castitatem, quia per dictam electionem implicite illam vovent, si nolint, ducant uxorem, ut liber, sed Sacerdotio non vrantur.

17. Quid si (ut id hac occasione non taceam) initiatur puer rationis compos, sed nondum pubes, sciens Ordini Sacro annexum esse votum Castitatis.

18. Respondeo Sanchez *lib. 7. de mar. d. 30. n. 8.* alios citans putat, hunc puerum ante decimum sextum ætatis completum, non teneri ad continentiam post Tridentinum, immo ipsi licere uxorem ducere. Ratio est, inquit, quia Sacer Ordo, qui imbibit Votum Castitatis, perinde est, ac professio religiosa, sed Tridentinum irritam reddit professionem ante illam ætatem emissam, ergo hoc Votum.

19. Verum Marchinus *l. c.* cui adde Leand. *de Ord. d. 13. q. 7.* Boss. *l. c. n. 206.* alii que putant, teneri ad Castitatem, ut, & ad horas Canonicas recitandas, quia ex vna parte

puer rationis Compos validè se obstringit Voto, & alia Tridentinum reddit quidem nullam professionem emissam ante illam ætatem, non verò Votum in Sacerdotio imbibitum. Neque valet paritas in rebus dependentibus à voluntate Legislatoris, multo magis hic magna fuit ratio irritandi pro ea puerili ætate professionem religiosam, quæ secum affert onera innumerabilia duo Vota Paupertatis, & Obedientiæ, nec non castitatem, rigorem vitæ, &c. quæ non affert Ordo Sacerdotii. Legi Pontium *lib. 7. mar. c. 29. num. 15.* sine, & opinionem Thomæ Sanch. esse sine fundamentis, Bossium *l. c. n. 207.* asserentem, utramque opinionem probabilem.

§. IV. Secunda obligatio horas Canonicas profectus Remissivè.

VBI TAMEN DE NOCTVRNO, ET MISSA ab Episcopo in ipsa Ordinatione imponitur.

1. DE obligatione recitandi horas Canonicas absolutissimè in *lib. 2. Decalogi tit. c. 5.* Notandum, id, tanquam in loco non inopportuno, quæritur, an Nocturnum, quod recitandum imponitur Sacerdoti, ut, & Diacono, Episcopus in eorum Ordinatione, recitandum sit, & recitari sub mortali. Idem quæritur de Missis, quas imponit Sacerdoti. Nam de Prelatis Prelati talibus impositis Ordinatis in Minoribus jura me me dixisse *supra c. 2. §. 1. num. 4.*

2. Respondeo, Diana, & Bonac. *cap. 2. c. 1. q. 1.* non obligari, putant sub mortali, sed rigorosè nimis, tam severa obligatio ex nullo capite adesse coarctanda, nec ex iure, nec ex Pontificali, jussa Clementis Octavi edito; in his enim tam gravis præceptum legitur. Ita Sanch. *l. 7. conf. c. 2. dub. 2. num. 6. Per. l. de Per. l. de hoc. Can. c. 5. d. 3. n. 10.* Bardi in *select. d. 1.* alii que.

3. At hæ orationes, & Missæ imponuntur in parvitiæ. Ergo, cum sint materia notabilis obligationis gravi culpa.

Respondeo. Vnde colligis imponi in Parvitiæ quæ semper imponi debet supposita culpa à se culpa est, an potius summa probris ad Ordines potius. Dic ergo merius, imponi in gratiarum actionem, potius simile, & ad summum, ut consilium.

§. V. Tertia obligatio sufficiens Patrimonium profectus Remissivè.

DE hac obligatione commodiori loco sequetur Dagam paulo inferius *c. 5. §. 4.*

CAPVT IV.

De Diaconatu.

§. I. Quia ille sit, & qua ejus materia forma, & quæ sit.

1. Si Ordo Sacer Ecclesiasticus, quo confertur proxime assistendi Presbytero in ministerio legendique Evangelium in Missa.

Nota illud (proximè) per quod maxime distinguitur Subdiaconatu.

2. Ejus materia, & forma duplex est: Altera est Evangeliorum, eisdemque potestio cum his Evangeliorum forma: Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.

Altera est impositio manus dextere facta ab Episcopo super caput ordinandi sub his verbis: Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendam Diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini.

3. Et quidem sicut in Subdiaconatu, ita hic duplex adest opinio. Nonnulli enim, ut Valsg. Sotus, Val. Regim. apud Leand. de Ord. d. 3. q. 12. G. Hurt. de Ord. diff. 12. Castropal. de Ord. d. vnic. p. 4. n. 10. putans traditionem Evangeliorum cum sua forma esse matricem & formam adæquatam Diaconatus. Nonnulli vero ut Bullar. lib. 1. de Ord. c. 9. Coninch. disp. 20. disp. 7. n. 62. Corn. à Lap. in cap. 6. Altorum March. de Ord. tract. 2. p. 7. c. 2. Sanch. in conf. lib. 7. c. 1. d. 3. Averf. q. 2. sect. 6. aliique dicunt esse paritalem, quæ cum prædicta traditione libri integret adæquatam. Probabilis est hoc posterius, quia Eugenius in Decreto Fidei ait, Diaconatum conferri per libri Evangeliorum traditionem, & Concilium Carthaginense Quartum c. 4. assignat pro Ordinatione Diaconi impositionem manus. Ne igitur hæc duo dicta sibi repugnent, vel certè, ut coherant, expeditius dicendum est, hunc Ordinem per alterutrum inadæquatè, per utrumque integrè, & adæquatè conferri, atque adeo Eugenium, & Concilium solum in iis verbis assignasse materiam inadæquatam. Quandonam imprimatur Character, an duplex gratia conferatur, & similia, sunt questiones à Scholasticis expendendæ.

4. Munus Diaconi, id est, Ministri Sacerdotis, est assistere Proximè Presbytero sacrificanti, id quod involuit multa, sed præsertim prærogativam legendi Evangelium in Missa. Munus etiam ejusdem est ex præscripto Sacerdotis Eucharistiam ministrare quæ non vrgit necessitas, ut item Sacrorum lotioni assistere: quæ duo ego satis clarè profectus sum in opus. de comm. c. 6. n. 1. & in opus. de Sac. Missæ, l. 1. cap. 2. §. 2. ibid. lib. 2. cap. 8. §. 8. num. 2.

5. Semel quæstum fuit, An Diacono liceat, deferre Pixidem, in qua sint sacræ formulæ de vno altari in alterum?

Respondimus licere, cum Leand. de Ord. d. 2. q. 38. March. ibid. citatus quia ex Sancto Thom. 3. p. quæst. 82. art. 3. ad primum, Diaconus debet habere potestatem super Christi Corpus in sacris vasis contentum. Confirmamus, quia ex quotidiana praxi Diaconus, pro solemnitate Processione, vel expositione, Pixidem, seu Lumulam, in quibus est Eucharistia, educit à Sacratio, vel à sublimi loco sumit, adducitque in manus Sacerdotis.

6. Quæstum iterum fuit de munere prædicandi Verbum Dei; Et putavi cum Leand. de Ord. d. 2. q. 26. & 29. hoc munus esse proprium Diaconi, neque enim putandum est, tradi illi Evangelii librum, ut eum solum legat, verum etiam, ut, si aliàs est idoneus, illud interpretatur, & Fidelibus euulget.

Quicquid ergo dicant aliqui, ut Chamers & Med. apud Leand. citati id concedentes Diaconis, solum, quando adest penuria Sacerdotum: mihi enim durum videtur, Ecclesiam velle prohibere illis officium, quod ex propria ordinatione ipsis competit. Multo magis durum videri debet Castropalao, de Ord. d. vnic. part. 4. num. 11. qui fatetur, materiam adæquatam Diaconatus esse traditionem Evangelii, ut denotetur, inquit ipse idem, munus Diaconi esse legem Evangelicam prædicare.

§. II. Questiones aliquot circa materiam Diaconatus.

1. Si non tradatur liber Missalis (ut certè solet) sed alius liber continens Evangelia, vel eorum partem, Inquiri, an promotio Diaconi validè consistat?

Respondet, validè consistere, quia jam ad sunt Evangelica, quod solum requiritur.

2. Inquiri iterum, Quid si solum tradatur liber Sacerdotis, vel Concilium Tridentinum, vel similis liber Evangelium non continens?

Respondet, Non fore ordinationem validam, quia, sic, non adest Evangelia, quæ significat formam, quam ordinans profert. Accipe potestatem legendi Evangelium, &c.

3. Inquiri Tertio, Quod si tota sacra Scriptura tradatur.

Respondet, fore certè validam ordinationem, quia Evangelia jam ad sunt. Unde idem dicendum erit, si tradatur solum Testamentum novum, non vero, si tradatur solum vetus Testamentum, quia in novo ad sunt Evangelia, in veteri non item.

4. Quod si traderetur liber continens solum acta Apostolica, Epistolæ S. Pauli, & Apocalypsim, incerta mihi esset ordinatio, & sub conditione repetenda, nam quamvis in actibus, aliisque prædictis libris adsit doctrina Evangelii, non sunt tamen Evangelia.

CAPUT V.

De Sacerdotio.

§. I. Quid sit, ejusque materia, forma, & effectus.

1. Sacerdotium est Ordo Sacer, per quem datur potestas conficiendi Christi Corpus, & Sanguinem, ac remittendi Fidelibus peccata.

2. Ejus materia, & forma duplex est. Prior est Calix, cum Vino, & Patena cum Hostia, eandemque traditio, Forma est hujusmodi Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missæque celebrandi, tam pro Vivis, quam pro Defunctis, in nomine Domini.

Posterior est vltima impositio manuum, ab ipso solo Episcopo facta ipsi Sacerdoti cum his verbis tanquam forma, Accipe Spiritum Sanctum, quorum remissionis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.

3. Dixi (vltima impositio) nam in solemnitatibus Ordinationis Sacerdotis præcedit alia impositio manuum, facta ab Episcopo ordinante, & ab aliis tribus saltem Sacerdotibus Ordinationi assistentibus, super caput Sacerdotis ordinandi, sicut etiam præcedunt aliæ Cærimonie, puta impositio vestium Sacerdotalium, sacra Vinctio manuum, &c. quæ omnino licet non à momento, de substantia tamen nequaqua non sunt, quidquid dicat De Lugo, de Sac. in gen. d. 2. sect. 5. a num. 90. putans prædictam manuum præcedentem impositionem esse de essentia.

4. Est autem, & hic duplex opinio. Non pauci enim ut Val. Bonacin. Nussi, aliique apud Leand. de Ord. d. 3. q. 6. & apud Averf. de Ord. q. 2. sect. 8. putant, esse materiam, & formam adæquatam Sacerdotii solum traditionem dicti Calicis, & Patenæ cum Vino, & Hostia cum suis verbis. Non pauci autem, ut Layman, G. Hort. Gran. Filii. Campan. De Lug. Marc. aliique cit. à Leand. & Averf. citat. Item Bellar. lib. de Ord. c. 9. & Sanch. l. 7. conf. c. 1. dub. 3. putat, utramque esse adæquatam, alterutram vero esse inadæquatam.

6. Hæc posterior sententia videtur probabilior, quia in Conciliis, Patribus, & sacra Scriptura Ordinatio Sacerdotis semper vocatur impositio manus, ut notat erudite Bellarm. loc. cit. Cum ergo nos modo n. 3. excluderimus illam præcedentem impositionem manuum, hanc excludere non possumus, at quia adæquatæ sine dubio non est, erit omnino inadæquata. Cæteras quæstiones, & sanè multas hinc pullulantes lege apud Scholasticos, dummodo semper certum sit Apostolos fuisse verè Sacerdotes institutos à Christo in vltima Cæna, ut definit Trid. sess. 22. Can. 2.

Munera Sacerdotis præter munus sacrificandi, seu conficiendi Christi Corpus, & Sanguinem, & absolvendi à peccatis, multa sunt, & omnibus obvia: nam propterea non sunt hic cum lectorum rædico transcribenda Inter cætera illius etiam est, prædicare Verbum Dei, sed cumulativè cum Diacono, propter superius dicta cap. 4. §. 1. num. 6.

§. II.